

40. K. 115, 26.



DE  
ORIGINIBVS SCHOENBVRGICIS  
DISSERTATIO PHILOLOGICO - HISTORICA,

QVA  
VIRO

SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSI-  
MO<sup>VE</sup>, DOMINO

M. CHRISTOPHORO GOTTLLOB  
GRVN DIGIO,

PASTORI APVD SCHNEEBERGENSES  
PRIMARIO LONGE MERITISSIMO, INSPECTORI LYCEI VS-  
QVE ADHVC GRAVISSIMO, ADVNCTO DIOECESEOS ZWI-  
KAVIENSIS PRIMARIO, ET ACADEMIAE AA. LL. IMPE-  
RIALIS FRANCISC. AVGVSTAE VINDELICORVM

COLLEGAE SPECTATISSIMO,

C V M

SVPERINTENDENTIS et PASTORIS


PRIMARII, CONSISTORII ASSESSORIS ATQVE INSPE-  
CTORIS SCHOLAE ET ORPHANOTROPHEI

G L A V C H E N S I S

MVNERA DENVO SVSCIPERET HONORIFICENTISSIMA,  
CONGRATVLARI, QVAEVIS FAVSTA APPRECARI, ET  
PIIS VOTIS ABEVNTEM PROSEQVI

VOLUIT

M. G E O R G I V S KOERNER  
PASTOR BOCCAVIENSIVM AD SCHNEEBERGAM, ET SOCIET. AA. LE.  
IN ACADEMIIS AVGVSTAE VIND, ET LIPSIAE SODALIS.



SCHNEEBERGAE, CALENDIS IVN. M. DCC. LVIII.

94



§. I.

**D**e rebus *Schoenburgicis* si quis materiam dicendi vel scribendi oblata occasione sumeret, Jliadem sane post Homerum haud scripturus, neque crambem bis coctam appositurus est lecto-ribus. Optime enim nosti, VIR SVMME REVERENDE, qui Histori-  
corum castra secutus, atque in iisdem veteranus quasi factus miles, larga-  
demum et honorificentissima inter Musas stipendia meruisti, quam rarae,  
aut, si mauis, pene nullae de iisdem prostant commixtiones publicae.  
Clarissimus olim *M. Schoettgenius* una cum socio *M. Kreyzigio*, cum ad-  
huc in viuis essent, verissime grauissimeque hac de re nobiscum sunt con-  
questi in fragmentis et collectionibus sic dictis diplomatico saxoniciis,  
quas spicilegii instar undique carpsere, delibare, collegere: postquam  
hanc in messem suas immiserunt falces, per pauca certe exinde in fasci-  
culos ipsis congerere, nedum nexus quodam jungere quicquam, licuit.  
Nil ergo vetat, quo minus similia, dum prisa tota mente pro more meo  
repeto, nunc quoque prosequar. Monendum tamen es, VIR SVMME  
REVERENDE, TVque Lector Benevolē! ut ante omnia ad hanc condi-  
tionem mecum descendas, ne litteras publice patentes, quæ vulgo diplo-  
mata audiunt, vehementer à me expectes: sed ingenio maximam, codi-  
cibus vero manu scriptis minimam aut plane nullam hac in dissertati-  
cula mea partem tribuere, queso, ne dedigneris.

§. II.

Familiam *Comitum Dominorumque Schoenburgicorum* generosa stirpe  
Fami-

professam et admodum speciosa equestriæ familia esse genitam, quis est, qui negat? paterno enim æque ac materno genere clarissimas et honoribus insignes Germaniæ domus complectuntur comites nostri multis ex proceribus, quorum claritudo est intermissa, superstites. Propter egregiam terrarum misnico-saxoniarum conditionem, tempore *Henrici Illustris* circa annum MCC. et sequentibus, multos inualuisse proceres, quales erant Domini de Jleburg, Torgau, Colditz, Tettau, Miltenstein et alii, ex quibus hodie soli Schoenburgici supersunt; auctor est *Schoettgenius*. Accedebant Burggrauii varii Dewinenses, Starkenbergenses, Wettinenses, Golcinenses, Donenses, qui nomen tantum affectarunt, imperiale vero axioma, prout Misnenses et Leisnicenses, nunquam obtinuerunt. Apparet exinde simul, magnam portionem regionis alias aluiisse Dominos, quæ nunc solis Principibus subest.

### §. III.

Quo autem tempore, quo loco hæc familia originem habuerit, id satis non liquet; hoc tamen certum erit atque perspectum, eam ab illorum ætate non multum abesse, qui Imperatoribus *Carolo M. Henrico Aucipi*, et *Ottobus* in regionibus Germaniæ potiundis auxiliarices dererunt manus. Traditum nimur ab antiquis morem diu seruarunt olim dicti Imperatores, quo legionum ducibus strenue quidem militibus, et in patriam bene meritis, à castris, oppidis et regionibus, quas primi ceperant, nomina imposuere aut cognomina, quæ posteritati honoris gratia jure quodam hæreditario relicta sunt. Non ignoramus arcis quasdam, verbi causa, Sommer schoenburgum inferioris Saxoniae circuli, et Schoenburgum in Thuringia Salam inter et Elistram fluvios exstructas, in quibus defendendis illarum Praefecti, quis est, qui illud dubiter, primo claruere, deinde summa accidente gratia imperatoria, Domini de Schoenburg sunt salutati.

### §. IV.

Cum jam in eo esset, ut Imperii consulto Soraborum gens numero frequens Imperatoribus Romano-Germanicis, qui his superiores erant, se submitteret, ex omni Germaniæ parte, Saxonia, Francia orientali cæ-

terisque provinciis coloniæ, antiquo loquendi more, *ver sacrum* appellatae, adducebantur, quas inter ea, quam *Wipertus, Comes de Groitzsch*, secum à Franconia duxisse dicitur, notatu dignissima & frequentissima fuit. Gentes istæ, ut olim in pagis et nemoribus habitarunt, ita et ex iisdem sua fortitæ sunt cognomina; populi enim ad Wuldæ, Muldae seu Mildæ et Milzenæ commorantes ripas Miltieni et Wilzi: alii vero Chemnitii fontis accolae Camanni, à Kamen, lapidem significante, exinde diæti sunt. His duces, coloni seu colonelli, comites, marggravii et burggravii præfiebantur, quorum posteriores iisdem moenibus continebantur, priores vero his similes et virtute spectari bellica diuersis ruguriis et passim in agris statuere tabernacula, castella domusque insignes. Comites nostros *Schoenburgicos* hos inter et locum obtinuisse veritati consentaneum est, quamvis multa hujus rei testimonia mihi in medium proferre non liceat, qua nimis omnia fere belli casus nobis eripuere aut ignis flammæ consumfere.

§. V.

*Domini de Schoenburg* maximam partem in Misniæ finibus circa Muldam fluvium, magna colonorum copia conscripta et contracta, sedes ipsis attributas possederunt, quas et in hunc diem possident. Eodem tempore Imperatoris exercitus ex bavaricis, franconicis, saxonisque erat collectus copiis, quibus ætate confessis ac gravia Martis onera percessis sedes quedam fixæ muneris loco inter Venetas sub jugum actos assignabantur, qui licet ex gregariorum numero propter egregia tamen facinora nobilium nomine sunt salutati, milites equitesque diæti *Katēξην*. Quo ergo titulo magis specioso ac graviore putas eorum Praefectos esse gauifos? *Dominorum* nomine amplissimo. *Domini* ergo de *Schoenburg* jam tunc temporis nobilium cum militum, tum equitum erant *Domini*, quod omnino cum honore et laude est conjunctum. Quod si eos a Satrapis Saxonum deducas, tecum habes Bedam Libr. V. hist. eccles. gent. Engl. Cap. XI. ita docentem: Antiqui, inquit, Saxones Regem non habent, sed *Satapras* plurimos genti suæ præpositos, qui ingruente belli articulo mitunt æqualiter fortes, et quemcunque fors intenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant: peracto autem bello, rursum

sus æqualis potentia omnes Satrapæ fiunt. Et Poeta vetus anonymous.  
Plebs omnis habebat quot pagos tot pene Duces.

§. VI.

Duae potissimum res, occupata jam provincia, Imperatoribus curæ cordique fuere, quarum una ecclesiæ, altera regiminis politici cura erat. Antiquis enim temporibus pie idque reête credebatur, regnum *Dei* ejusque *Messiae* ante omnia querendum atque longe præferendum esse rebus hujus seculi caducis omnibus, hoc tamen non obstante, quin superstitionis contagio agri quasi pervaſtarentur. *Domini de Schoenburg* primo quoque tempore, quo lux evangelii his regionibus salutaris affulſit, convenitum agere, ædemque in honorem *Matris* deiparae Sancte *Joannis Evangelistæ*, vergente jam seculo duodecimo, exſtruere *Geronisvaldae*, quæ *Edenis* nominae quondam inter homines utriusque sexus, ordines *S. Benedicti* sequentes, constituit; de quibus et *Herrmanno de Schoenburg* annales chronicci Leisnicensis pag. 429. et sqt. in primis libellus MS. Viri pl. Rev. Dom. M. Joan. Gotfr. *Welleri*, Diac. ad ædem *S. Mariæ* apud Cygn. pluribus hac de re differentis, sunt consulendi.

§. VII.

Hæc prefatus me tandem ad rem, quam aggrediar, ipsam accingo. Sunt enim quidam, qui historiam *Comitatus* et *Domini Schonburgici* meditantur, quos inter et TV, VIR SVMME REVERENDE, qui egregium nobis jam exhibuſti specimen in delineatione historico-geographia castelli perverſuti *Stein* ad Muldam siti in confiniis Schneebergenſium, cuius editionem una cum caeteris omnes ii, qui quodam patriæ amore ducentur, proxime et avidiſſime exſpectant. Sunt etiam, qui de *Gente Schoenburgica* primas tantum consignarunt lineas, e.g. M. *Wernerus*, *Pafor* in Milzenis, vir multa doctrina et meritis, cui annumerandus Dominus *Mittelbachius*, Hartensteinensis, Advocatus immatriculatus, Poligraphus et rerum schoenburgicarum peritissimus olim, quorum tamen nullus obſubſidiorum ſufficientium defectum veruſta rerum monumenta in hunc uſque diem in unum compoſuit volumen. His non obſtantibus credo tamen fore, ut tales collectiones historiæ, quæ hinc inde à viris, qui nul-

lum laboris tempus sibi dant vacuum, instituuntur, suo quoque tempore  
in unum coalescent corpus, hoc unico tantum observato, ut TE una ex  
parte et ratione muneris sacri Præfulem suum, altera vero vice antesigna-  
rum suum et choragum historicum devenerentur et sequantur.

### § VIII.

Elaborent alii cupide in eruendis conscribendisque rabbinicis, græ-  
cis, romanis, et ruscis, persicis, indicis, scythicis, runicis caeterisque  
monumentis et rebus antiquis, quorum ego certe diligentiam in vitium  
rapere non ausim: exotica enim sunt et stupendam lectoribus saepius o-  
stendunt eruditionem; miror tamen ego, qui jure talionis frui nequam,  
et hanc ob causam vituperationem subinde subeam, quoniam, exoticis  
hisee non plane post habitis, res domesticas et patrias explorans mirum  
in modum me et alios, iisdem mecum utentes, oblector. Lites aguntur et ad-  
huc sub judice lis est ob variantes lectiones et multa nomina urbium, regio-  
num, virorum illustrium, aliarumque rerum ignota, quæ in illis antiquis et sic  
dictis auctoribus classicis occurunt, lectoribus. Res nostras alias agendo ne-  
gligimus neque earum origines neque etymi vim curantes: contenti pro-  
nunciatione satis barbara rem nomine notatam susque deque habemus. Clari-  
ssimus M. Weisius, Direct. Gymnasi Altenburg. id quidem sua ætate pro-  
be intellexit, hinc in antiquitatibus misnico-saxoniciis, (qui libellus ut in  
omnibus scholis nostris inferioribus publice prælegeretur omnino di-  
gnus) memori mente ad origines sorabicas recurrens ita: ad eruditionis,  
inquit, amplitudinem sorabicae linguae cognitio incredibile quantum con-  
fert adeo, ut non possim non accusare illos, qui commodissimam illius ad-  
descendæ occasionem habent; illa tamen non utuntur, pag. 78. Ex eo  
tempore multi nostratum aliud sunt edocti, ut loquentes cum vulgo tan-  
dem aliquando cum eruditis sentiverint.

### § IX.

Incolæ comitatus Schoenburgici aut slavici sunt generis aut germani-  
ci, quorum posteriores, regnante Carolo M. Imperatore et sequentium  
temporibus, aduenæ, priores vero inde à seculo post C. N. sexto pulsis  
Hermunduris atque Marcomannis, aut in unam gentem cum iisdem con-  
cretis,

cretis, indigenæ fuere et servum hominum genus. Germani aut bavari-  
ci, aut franconici, aut denique saxonici juris homines, qui prout in hunc  
vel illum montem, pagum, sylvam, pratum, lucum et agrum habitatum  
concedentes vestigia et monumenta appellationis patrio sermone post se  
reliquerunt, in quibus *Taura*, *Taurastein*, *Harta*, *Hartenstein*, *Wal-*  
*denburgum* et *Schoenburgum*, ubi *Domini* sedem primam et primariam  
habuerunt, et nunc habent *Comites S. R. Imperii*, exempli loco nume-  
rantur. Slavii aut in alias Germaniæ provincias ab Imperatoribus co-  
rumque præfeti summis in colonias abducti, aut, ubi fidem aliis dede-  
re dominis et sacramento se se obligarunt, acerbissimo servitutis jugo dé-  
jecto et in libertatem adsciti, redacti tandem sunt in imperium, patrias-  
que possessiones, lingua ac moribus illorum in sermonem et ritus ger-  
manicos conversis, diu retinuerunt. Carolus enim M. ut in locum Saxo-  
num, quos trans Rhenum locauerat, ex Gallis similiter triginta millia  
in Saxoniam transtulit, eosque ad differentiam Westgallos, nunc Westvá-  
los, nuncupavit; ita et ipse aut ejus successores eundem servasse morem  
cum colonis saxoniceis slavicisque his in oris degentibus ex historiarum  
documentis quis est, qui negat? teste *Tribemio* in libro de scriptoribus  
ecclesiasticis, C. III. et D. Joan. Nic. *Hertio* in notitia veteris Germaniæ  
populorum, C. III. pag. 113.

§. X.

Indicem proinde et syllabum etymologicum ordine alphabetico in  
medium prolatus modo origines teutonicas modo slavico - for-  
bicas, antiquitatis in terris Schoenburgicis testes, exhibeo, quas  
pro modulo ingenii et viribus meis ex historicis philologicisque rationi-  
bus adstruere mens est, his tamen præmonitis, me non in tritis fatisque  
perspectis nominum etymologiis, sed tantummodo in exoticis, barbaris  
et haud plane cognitis commoraturum esse notionibus. Illa enim ut  
singillatim commemorem super vacaneum esse duco; in his tamen ita  
sententiam meam sequar, ut eam, quod si quis contraria eaque robustio-  
ra afferat argumenta, studiosus veritatis mutare non recusem.

AFFAL-

§. XI.

AFFALTER Francorum est, quorum in agro et in Norico veteri aliud Affalter et Affalterbach versus circumfusentia montium Bohemicorum iuga in venies, ita dictum ab alta terra, *uf Altterr*, quem in modum et hodienum *Altpoertel*, porta quædam *Spirae* ab alta portula Romano colonorum sermone nomen est adepta. Non tamen inficias ire possum, alias hanc denominandi rationem ideo rejicere, quia sibi persuadent rectius ab altari, S. Afræ consecrato olim, deriuari posse. Nec ego dissentire, si modo argumenta in medium proferrentur invictissima. Quid autem Monachi historiæ et hujus etymologiae ignari, *Cygneam* à cyeno græco ex sorabico *Zvunkovv*, *Rosetum* ex *Rostok*, *Oppidum* ad mare ex *Meran* Venetorum mirum et ridiculum in morem fingentes et convertentes, non sunt ausi? ita et hoc in loco in honorem S. Afræ, affinitate litterarum capti et decepti, altare construxisse facili negotio creduntur.

BOGENSTEIN ad ripas Muldae situm et à voc. *Bog*, i. e. Deus derivandum videtur. Summis enim in fastigiis et clivis sacra paganis olim fiebant, quæ loca per contemptum *Teuffelssteine* à christiano populo appellabantur, quorum et vestigia seu rudera dantur in vicinia nostra prope Bayarorum campum et Bavarobacum in Sudetibus. Confer pluribus hac de re differentem Clar. R. *Longolium, in sichern Nachrichten von Culmbachbayreuth*, Tom. II. sub fine.

BOKA, sylva Mitweidam inter et Wechselburgum, aut à Bog eandem habet originem, aut à Buk, fago, quæ arborum species propter roboris excellētiam, quo Numini adsimilatur, paganis sorabis aliisq[ue] inde ab idolatriæ incunabilis Deo sacra fuit. Conf. chron. Bockav. Cap. I. et II. p. 42.

BEVTHE, villa prope Hartenstein, quæ in diplomatis Budin audit et Buda, Sorabis domicili locum, *eine bleibende Städte*, significat, id, quod nos *Bude* dicimus, teste etiam antiquo canendi more: *und mag nicht laenger beuthen*.

CROTENLEITE, ager virgultis et arboribus olim consitus nunc *deletus*, in quo *Crotonis* deastri cuiusdam gentilis simulacrum cultu satis profano et infami afficiebatur, id, quod pagus vicinus *Gärzenhal* innuere videtur.

detur. *Croto* enim idem est, ac si *Grote Ott*, der große Vater, dicas; hinc in vicinia nostra *Crotendorf*, dat groote Dorf, et *Crotensee*, der große Teich, quæ Eybenstoci iisdem juribus continetur et regitur. Nil ergo vetat, quo minus et hunc locum *die grote oder große Leite* titulo justo insigniamus. *Grod* etiam apud Sorabos castellum seu palatium vallo munitum est, *ein Schloß oder kleine Burg auf der Leite*.

**CHEMNITZ**, flumen regionem schoenburgicam non adeo interfluentes ad primum lapidem supra Wechselburg defertur in Muldam; id est Bohem. *Kameni voda, Steinwasser*, melius ergo et curatius Germani *Kaemnitz* scriberent, nisi usus esset tyrannus.

**CLAVSNITZ**, sorabice *Kloß*, arista, hinc kloszny, adjectivum. Autem et o facile inter se permutari apud omnes fere constat. *Klaufnitz* ergo, quasi Latinorum aristetum, collectivum nomen, *ein Ort, wo viel und gut Gerreyde wachset*, sumta parte pro toto.

**COSSEN** sorabice *Koffa*, falx major, instrumentum messorium, quo hordeum et avena metuntur, quasi *Sensheim*.

**DENHAERITZ** saxonicae est originis. *Harte* enim et *Harerz* syllavam apud ipsos significat; *Den* vero Soraborum articulus est *ton*, *der*, hinc in ore slavonico *Denhaeritz* effectum est, quippe qui terminaciones in *k*, *iz*, *en*, *in*, et *ow* habent fauitrices, *der Hartzwald, of den Harz*, germanice.

**FRONA** vel *Fronau, Fronsdorf*: prior pagus in Ober-Mittel-et Niederfrona tripartitus. *Fron* Gothis est *summus*, hinc germanis verbum est *froenen*, h. e. summo principi aut ejus delegato judici et pagi praefecto servitia praestare. *Frona* ergo locum certum, ubi ejusmodi officia redduntur a subditis, innuere videtur. Nec mihi displicet *Fronau* per viridarium summum & *Fronsdorf*, pagum summum, barbare cum barbaris loquendo, interpretari: *Die groeße Aue, das große Dorf*.

**GLAVCHAV** à sorabico adjectivo nomine *Hluchy*, a, e, surdus, emortuus, inanis, meo quidem judicio, deducitur. Constat enim ex antiquorum temporum monumentis, Sorabos quoque suos metallorum fossores habuisse, et ob metalligenus, quod his in oris ingratum, emortuum et inane deprehendebant, hanc denominandi rationem reliquisse. H et G in linguis slauonicis alternant, ut sit *hlucha hora, Gluchovv*, terminat. patron, *der taube Berg*.

:(

**GESAV**

**GESAV** ad primum lapidem ē regione Vrbis metropolis posita villa et filia. Vix nec aliis nec mihi persuadeo, ut a *Gesis*, quo nomine fortis apud Gallos otim veniebant viri, et Gesatae mercenarii appellabantur milites, sic dicti ab instrumento quodam militari geso, gæso, gesso, vel gescea, græce γαστος et γαστον derivem. Cæsar B. G. III. 4. Virg. Aen. 8, 662. Liv. VIII. 8. IX. 36. Gell. N. A. X. 25. Propert IV. 11, 42.

Virdomari genuš hic Rheno jačtabat ab ipso

Nobilis erectis fundere gesa manu.

**Ges** slavonice dicuntur catarrae; hinc *Gesovve*, *Gesovia*, locus contra aestum fluvii afferibus septus et stipatus, germanice der. *Wehricht*, Glauča suburbium trans Muldam.

**GOEHREN** a *gora* Sorab. mons, hinc *gorenj*, *horenj*, villa seu locus acclivis; alias *Goerniz* ad Plissam prope Bornam, *ein Ort*, vvo es Berg an geber. His adde *Koren*, quia litteræ unius sunt organi in ore Germanorum facile inter se permutatae, ni mavis a *Koren*, radice, deduxisse.

**GRVNA** prope Lesnicium villa: oppidum ex antiquitate satis notum et illustre in confiniis agri Lipsiensis et Jleburgensis olim situm, ultimum Soraborum refugium, a *Koroi*, substant. signum, vexillum, corona ita dictum, adject. *Korony*, a, e, contracte *Kruna* et *Gruna* ore germanico prolata. Si fidem habemus. Historicis, locus ille ingentis operis apud Sorabos erat monumentum; urbs cum manu munitissima, tum loci natura, quæ flumine cludebatur, quibus propugnaculis solo adæquatis alios in his terrarum angulis et sylva hercynia, quo fugerent ad salutem, receperunt quæsierunt. His annumerandæ *Korna* villa, *Gertana* et *Biera* seu *Wiera* major et minor, rivuli in Sudetibus nostris in Voitlandia confinio.

**HARTENSTEIN** Saxonum est, quorum in lingua *Hart*, *sylva*, *Stein* vero castellum significat, *ein Schloß ufm Walde gelegen*. Quasi TV, VIR SVMME REVERENDE, nescires? TE enim ipsum ad TE ipsum mittere nolo.

**IERISA** V pagus ad Muldam prope Glaucham hospitio Caroli V summi Germanorum imperatoris clarus, juxta versus effigie, quæ in æde ibidem asservatur, subscriptos:

Jlle ego, qui quondam CAROLVS cognomine QVINTUS  
Dicitus eram, rerum cum mihi sumina foret, Dux

Dux belli veni capiendo Saxoniis ergo,  
Huc ego divertens hic habui hospitium.  
Quodsi fama manet belli, quod gessimus inde,  
Hic locus et nostro nomine clarus erit.  
Octaua tunc luce dies surgentis Iesu  
Cum lustris octo septimus annus erat.

Est pagus quidam exigui tamen momenti in Helvetiis situs Gerisau dictus. Jam vero circa finem seculi XI. coloni helvetii duce domino quodam a Schwarzenberg in has nostras regiones habitatum concessisse dicuntur, testibus chronicis veteribus helveticis, quae M. Kreysigius anno præterlapsò mecum communicavit. Nonne *Gerisch* nomine et omni quidam, (peregrinum enim significat) primus in his pratis sapissime inundatis et cultu vacantibns accola, cum socio *Rainoldo*, qui *laco* his proximo forte nomen dedidit, domicilia hic loci sibi constituere? hoc in deliberationem cadit. *Gerisch* in hunc usque diem est nomen gentile familiae cuiusdam, quæ seculo elapsò Styria emigrans montes Sudetes passim incolit.

IESNITZ, aut *Iaefnitz*, sorabice *Geseniz*, à substantio *Gesen*, i.e. fraxinus, lat. *fraxinetum*, Eschenheim, *ein Ort*, vvo viel *Eschenbaeume* uuachsen.

IVEDENHAIN, id est *Goetten-vel Goetzenhayn*, lucus deastris gentilium sacer, nunc paroecia Thurmenis.

KORBA, quæ vixā corbe Latinorum ac Germanorum denominari videtur. Quod me attinet, illam à *robicz*, slav. verbo, et *roba*, *robo*, *Tagarbeit*, subst. adjecta præpositione inseparabili k, i. e. ad, *k roba*, per metathesis litteræ, quoniam difficile pronunciatur Germanis vocabulum, *zur Hofarbeit*, derivari mallem.

KERTITZ vulgo *Kertsch*, villa in prefectura Remissau, facili negotio à *Ker* Soraborum, frutex, deducitur, Latine fruticetum aut fructetum, germ. *Gebuesch*, *Gefraeuch*.

KVSCHNAPEL prope Hohenstein, vocabulum, quod litterarum slavonicarum experti pene risum mouet, æque ac Potschapel ad primum lapidem distans ab Vrbe Dresda. Sorabis *Kosa*, capra, *kosny*, caprinus est, hinc *Kosnepole*, *ein Ziegenanger*, *Geisfeld*. Nota, quod semper in prima natura syllaba accentus tonicus apud Sorabos, hinc tam foeda fluit ex ore germano hujus vocabuli, alioqui satis comti, pronunciatio, vulgo: *Die Kuehschneppe*.

LIPPARANDIS, vulgo et curatius *Lipperænz*, à *lippa*, vocabulo syno-  
nymo τοῦ *Lon*, et *Hræniz*, finis, terminus, derivatur, h. e. locus ubi regio-  
nis confinia tiliis determinabantur.

LOBSDORF in diplomatisbus *Lodevvigsdorf* legitur, v. Lungwitz.

LOESNITZ, oppidum præfeturæ Steinensis et fluvius. Nutricula-  
rum fabulæ sunt, si quis à redimendo seu liberando ita nuncupatum esse di-  
cat, ut quidem vulgo narratur; rectius autem, monente id *Schoettgenio* in  
spicilegio diplomat. saxon. derives à *Les*, *sylva*, *lesny*, sylvosus, i. e. Germ.  
*Waldheim*; cui ergo hæc nostra arridet exegesis, in posterum *Lesniz* scri-  
bat et litteris ita mandet.

LVGAV, vulgo *Luge*, sorabico sermone *Lug*, palus, *Luka*, pratum au-  
diunt. Saxonibus *Lug* idem est ac videre, perspicere. Arripe ergo, quod  
natura loci exigere Tibi videtur.

LVNGVITZ, pagus varias per ambages distractus, paroeciarum ap-  
pellatione distinctus et *Ludovici* pagus olim in diplomatica quodam dictus.  
Nonne et hoc in vocabulo clerus pontificius, qui slavonica non didicerat,  
affinitate literarum ductus linguam suam provincialem, latinam nimirum,  
introduxisse Tibi videtur? Meo saltē judicio *Lungvitz* magnam cum  
LVNZENAV, haud procul à matre Rochsburg, habet affinitatem. *Lon*  
vel *Lun* sorab. substantivum est nomen, *tilia*, hinc *Lonez*, *Lonz*, *Lonzik*,  
*Lonvvitz*, tilietum, germ. *Lindenau*.

MERANA, vulgo *Meerane*, oppidum ad memoriam posteritatis insi-  
gne, quo de multa et magna doctrina ornata nobiscum communicauit clar.  
M. *Longolius* R. in commentariis diplomatico historicis Culmbacobaruthini-  
nis, Tom. II. quos videsis. Scriptores et rerum diplomaticarum interpre-  
tes, litterarum slavicarum ignari, male per *oppidum ad mare*, die *Stadt*  
zum Meer, sunt interpretati, quorum ego argumenta in descriptione histo-  
rica castelli Schwarzenbergensis, cap. VIII. memor. Boccau. coargui, §. 8-14.

MIERSCHNITZ, slavonice *Miersny*, frigidus, *Kalthausen*; alia vil-  
la et germanice diēta, nunc bellorum injuria funditus sublata Glaucham  
inter et Tettoviam, hinc rudera ejusdem in hunc usque diem, die *Kalt-  
hausner Felder*, eodem nomine vocantur.

MVLDA et MILZENA, amnis uterque, quorum prior matris ad  
instar,

instar, posterior vero filiae et quasi diminutivum est nomen, derivandi, secundum Wenceslaum Hagecium in chronicis Bohemorum, à *Wlava*, *Holtava*, seu *Mltava* woda, germ. *ein reissendes Wasser, oder ein Wasser, das sich trinken lässt*; hinc olim et hodienum *Milda*, cum in fontis originibus, tum ubi latius sese diffundit et stagnat, dicta est. Fluvius, qui medianas terras Schoenburgicas interfluit urbibusque auctoritate amplissimis affunditur: pagus *Miltienus* ex parœciarum diversitate et aedium ibidem sacrarum S. Nicolao, S. Jacobo, S. Michaeli et S. Vrbano (ni fallor) seu Petro, diversis gaudet exinde nominibus, vulgo in *Ober* et *Niedermilzen* usque ad confluentem divisus. Conf. plura ex modo allegatis memor. Boccau. c.l. §. 3.

**OELSNITZ**, ob metathesis litterarum unius ejusdemque est originis cum Loesniz, vel Lefsniz, quod vide.

**PENIG**, seu *Penik*, oppidum in terris saxonico-schoenburgicis mercatura haud ignobile, cuius ad radices Mulda fluvius quasi violentus invehitur. *Piniu, peniu et pyniu*, sorabice idem est ac spumare, spumam ejicere, verbum cum ipsare, per id notata, non male congruens: locus, in quem fluvius spumam eructat. Autor chronicorum Penicensium an mecum sentiat in eruendo hujus vocabuli etymo, hoc mihi apertum non est, quia mihi manus nondum peruenit.

**PFANNENSTIEL** vicus in Sudetibus metallicus, ubi sub pede montis splendidus et officina, in qua colores mirum in modum coerulei elaborantur, locus hinc inde celeberrimus *Unterpfannenstiel* quam proxime adiacet. Francis et metallorum fossoribus ex circumiacentibus monti vulgo sic dictio pinifero regionibus huc advenis debetur. hæc denominandi ratio, id quod demonstratum dedi in memor. meis Boccau. Cap. II. §. 18. §. 22. ex M. Petri Albini chronicō Saxoniae metallico, pag. 90.

**PLEISSE**, Soraborum *Pilsniz* et *Polsniz*, proprie aqua dividens, intermedia aut divisa in dimidium, à radice *Pol, halb, die Haelfte*. Fluvius semper et ubique terminus secundum terrarum descriptiones antiquas et novas, isque una etiam ex parte in finibus dominii et comitatus Schoenburgorum, qua Chemnitium itur.

**RAEDLITZ**, prope Lichtenstein, hæc mater illa filia, est à Sorab. *radlo aratrum, vomer, hinc radliza, aratri vomer, et Radliz, arationis locus, ein*

**Ort, vvo man ackert und pfluegt, nachdem die dicken Waelder ausgerottet  
and neue Colonien sich daselbst niedergelassen haben.**

**REMISSA**, vulgo Remse, monialium olim monasterium et remissione  
nibus per indulgentias papales locus celeber, cuius historiam clar. M. Krey-  
figius nuper divulgauit. Alia **Remissa** prope S. Huberiburgum sita par-  
oecia est Pastoris in *Ablaß*.

**SCHIMNITZ**, nescio quo fato in *Schindmas* hodie in litteris et actis  
publicis conversum sit vocabulum mere slavonicum? cui nec loci situs ad  
Muldam refragatur. *Schimny* enim slauico sermone *frigidum* significat, cui  
ex opposito montem versus responder Germanorum *Kalthausen*.

**SCHLAGWITZ**, à verbo perfecto *Schlo*, i.e. meatus, wo man einen  
Ausgang findet, und die *Schlage* hingehet, adjecta terminatione denom-  
inativa aut patronymica.

**SCHLVNZIG**, villa Muldam quam proxime adjacens à Slonzo, so-  
le, nomen est adepta, germanice *Sonnenheim*.

**SEYFFERITZ**, pagus Denhaeritz inter et Meranam positus, à *Sypu*,  
fundere et *Ritz*, rivus, compositum inde *Seifferitz* evadit, mutato more Saxo-  
nibus consueto p. in f: *ein Ort, dessen durchlauffender Bach sich gar leicht  
ergießet*.

**SORNITZ**, à *Sorno* sorabico subst. Sorneschko, diminut. ador, fru-  
mentum, *ein Ort, vvo gti Geireyde vvechset*.

**TAVSCHE**, si nolis à permutando derivare, *Auscha* Slavorum habeto  
et Aussik, utraque intra Bohemiae fines oppida haud ignota, ab angustia lo-  
vorum et *auzky* adject. *auscha* et *auschina* substant. denominata. Quæris  
unde T præfixum? R. Articulus est præpositivus *Ta*, abjecta ob vocis eupho-  
riam littera *a*, *Tauscha*; jam ergo in loci situm inquiras.

**TAVRA** et **TAVRASTEIN** uterque sic dictus a comitibus Taurinensibus originem du-  
centibus Regibus Longobardicis principibusque Bavaricis, quo titulo et insigniti olim fuere  
comites Andegavenses et Duces Meranenses, quos inter Bertholdus, Dux Meraniae, comes ab An-  
dechis et Taura tempore Henrici Aucupis per celebris, his locis nomen reliquise creditur. For-  
tunatus Hueber, ordinis S. Francisci, historiam edidit Thaurinensem. Vide der pruefenden  
Gefellschaft zu Halle Schriften, Probam III. p. 345 1739. p. 350. Bertholdsdorf, villa Berthol-  
di, in vicinia est sita, alia vero prope viam, qua Zwikauij Glauchoviam itur.

**TETTAV**, pagus in confiniis terrarum saxonico altenburgensem; locus, sanc, grata re-  
cordatione jucundissimus mihi et suauissimus, nomine Engelmanniano, quo Pastor ibidem  
optime

optime meritus gaudet, insignis. Gens quædam clarissima et nobili sanguine orta hoc Tettœ via nomine venit. Vocis origo subobscura, magisque saxoniam quam slavicam linguæ in dolem sapit, quæ, uti constat, litteram T autem usque habet, quamque nostrates Dessaue loquerentur. Tettœ uero castellum est in confiniis Lusatianum perantiquum, et villa quædam superioris Lusatiae, ex quibus quodammodo liceat colligere, Dominos olim a Tettœ Saxoniae præundos et Saxonum colonorum Duces fuisse, quorum in honorem villæ noviter exstructæ gentis inter ipsos clarissimæ nomine appellabantur. Pluribus conf. historia castelli Schwarzenberg, anno præterlapso a me conscripta, §. 17. 18. 19. et Dom. J.P. Oettelii historia Eybenstœti, pag. 164.

WINSCHENDORF, vi vocis pagus deorū vergens; divisus enim est hic pagus Tettœ in Oberdorf, Tettœ in specie, et Wintschendorf. Abit ergo seribas Wünschendorf, quam eacographiam inappa terrarum Schoenburgicarum geographicâ servat; est enim aut villa venetica, Windischdorf, aut, quantum ego sapio, villa inferior, cui superior ex aste respondebat. Sorabica Nischnina regione deorū vergentem seu inclinantem significat. W autem præpositio infarabilis, quali in Niederdorfe.

WIERA, annis et pagi ex historiarum monumentis satis cogniti nomen saxonicum, quod coloni et milites veterani Imperatorum tempore Saxoniorum his in oris habitatum conce dentes utrūque imposuerunt. Idem fecerunt metallurgi e montibus Hercyniis emigrantes, hinc apud eos die grossa und kleine Bier.

WEERICHT insula, slavonice Ge so w e, quod vides.

WVLMI et Wollnen, secundum diplomata: Wulmin, idque curatius a verbo sorabico wuloju, in hi, wulowaez, exp̄cor, derivatur, loci natura et situ id exigente, ut sit domus vel rara secundum flumen exstructa tuguria hominum ex piscatura viventium; hodie parocchia factrorum antititis in Schlunzig, tandem aliquando confratris in Domino dilectissimi, Dom. Reinhekelii, cui semper èv πάττει!

ZSCHILLEN, ita olim Wechselburg, cuius origo germanica satis clara et perspicua; slavonica vero est a nomine Dziel, pars, portio, ex adject. seu participio Dzieleny, a, e, partitus, Dziele ni, repartitio, ein Ort, wo man abgetheilet hat, oder welcher getheilet worden. Confer die diplomatiche Nachlese, Tom. III. sub fine, ubi diplomata quædam terras Schoenburgicas spectantia allegantur.

ZSCHOKEN, vigiliarum locus in montis quodam cæcumine et in sylvis maxionam partem ex structus eum in finem, ut exinde hostis adventus perspecti posset; derivatur ergo a czakam, exspecto, czakan, exspectatio, hinc Germ. Warte, oder alter Wachthurm. Hæc nostra opiniois argumenta sunt non solum probabilia, verum etiam, ut opinor, ad assentiendum necessaria. Sat prata biberunt!

## §. XII.

Habes ergo, VIR SVMME REVERENDE! quod olim a me desiderasti et voce amica et scriptis me lacesivisti publicis, ut in eruenda antiquitate, quæ multa exedit monumenta, vestigijs faltim nominum prioriorum inhærerem plurib usque continuarem capitibus, cum tantum primas historias Boccauensis, exigui sane argumenti, jecissem lineas. Utilem, quam præ se ferunt vocum etymologiacæ, TIBI ut commendem non erit opus; nosti enim experientia doctus, quam facili negotio ad uberiorem historiæ cognitionem carum beneficio pateat accessus et perveniantur. Id quod sua jam atate C. I. R. Schoettgenius, historia patriæ procul dubio princeps, agnoscens non erubuit, quin ex ore discipuli sorabice seu veneticæ nationis linguam addisceret

Magister,

NR 7803 189  
Magister, qua tanquam lucē afflussus maximas in historia res tenebris circumfusas protulit in lucem, atque multis de rebus lite dijudicata relictis verissime judicauit. Hac de re multa in medium exempla proferre possem, si dissertationis terminos et metam in eadem mihi praefixa transgredi liceret.

### §. XIII.

Campus mihi nunc aperitur longe lateque patens, quo in laudes TVAS, v. c. summum erga litteras bonasque artes studium, magnam rerum divinarum scientiam prudentiamque theologicam, præstantissimam in rebus physicis intelligentiam aliaque permulta, posse exspatriari, idque profecto eo magis, quo intimus mihi eas introspicere licuit, nisi vel modestia TVA plura commenorare prohiberet. Hæc aliorum, qui de eruditione, vera, fallâ et superficiaria existimant, arbitrio sint permissa. Quod ad me attinet, multum ex eo tempore, quo usus TE cum mihi intercessit, optauit, ut publico quodam monumeno meum erga TE possem declarare animum. Cui rei dum occasionem querero, schediasma hoc quæcunque obvenit, quod fretus amore TVO, quo mea in litteras Slavorum studia affecti, TIBI inscribere ausus sum.

### §. XIV.

Accipe ergo, VIR SVMME REVERENDE! propensa ac perpetua in me benevolentia origines hæc philologico-historico-Schoenbourgicas, in quibus conscribendis tempore fere exclusus omnem tandem moi lapidem, ut opportune TIBI tradarentur. Anceps enim primo hærcbam, meam quoque symbolam darem, nec ne? vicittamen necessitudo nostra et quæ mihi erat in TVA humanitatem fiducia. Præterea totus mihi persuadeo, materiam hunc in finem delectam adeo tritam non esse atque transactam, quin meo quoque ingenio aliquid reliquum esse existimarem. Consuetudo sola id præcipere non sane videbatur, sed et amicitia, quæ nos intercessit, ut publicam inci in TE, VIR SVMME REVERENDE! studii telleram, amoris atque observantiae signum, ederem. Grata me semper subit memoria temporis præterlapsi, quo ex colloquio TVIS doctissimus animus ad religionis et virtutis studium usque allectus est meus, saepiusque altiora quærendi et cogitandi enata est occasio. Subeat et animum TVVM, quæso! mei memoria, idque tum fore credo, quum nomina et loca ex antiquitate eruta TIBI ob oculos versabuntur in actis publicis inque collegio eorum, quibuscum res ad sacra pertinentes procurabis.

### §. XV.

Providentia Numinis divini summa, quæ optima quæque et saluberrima in præficiendis muneri sacro viris fuggerit consilia Patronis, TIBI, tercia jam vice, pastoris animatum principio, primaria deinde, et episcopi denique pastorum gregis christiani munus demandavit amplissimum, novoque ac solemniori quadam vinculo ad defendendam per omne vita tempus evangelii puritatem in Proto synedrio regio-electorali, ut et in collegio sacro, Illust. Comitiis Dominisque S. R. I. de Schoen burg communî, TE novissime obstrinxit. DE VM ergo immortalem supplex veneror, ut TE, una cum CONJUGÆ ornatisima, ac cunctis mentis dotibus summopere commendabili, nec non cum prole jucundissima salvum incoluisse, et omnibus animi pariter ac corporis dotibus cumulatum in Schoenburgicas Gentis atque terrarum ejusdem emolumentum, inque eorum omnium, qui curæ TVAE commituntur decus et ornamentum, superstitem quam diutissime esse jubeat.

F I A T.



VD18

ULB Halle

008 319 049

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



## Farbkarte #13

DE  
IBVS SCHOENBVR GICIS  
O PHILOLOGICO - HISTORICA,

QVA  
VIRO  
NDO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSI-  
MO QVE, DOMINO

OPHORO GOTTL  
RVNDIGIO,

PVD SCHNEEBERGENSES  
MERITISSIMO, INSPECTORI LYCEI VS-  
ISSIMO, ADVINC TO DIOCESEOS ZWI-  
ARIO, ET ACADEMIAE AA. LL. IMPE-  
CISC. AVGVSTAE VINDELICORVM  
LEGAE SPECTATISSIMO,

CVM  
ENDENTIS ET PASTORIS  
ISTORII ASSESSORIS ATQVE INSPE-  
TOLAE ET ORPHANOTROPHEI

LAUCHENSIS

SVSCIPERET HONORIFICENTISSIMA,  
I, QVAEVIS FAVSTA APPRECARI, ET  
TIS ABEVNTEM PROSEQVI

VOLUIT

RGIVS KOERNER,  
VM AD SCHNEEBERGAM, ET SOCIET. AA. LE.  
AVGVSTAE VIND. ET LIPSIAE SODALIS.

AE, CALENDIS IVN. M. DCC. LVIII.

